

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Discrecio f
cum fonte primo

In cunctis nobis semper debet preesse discrecio,
et quasi moderando singulas discernere uoluntates,

ne opinio uerisimilis fallat, ne decipiatur sermo uersutus,

ne quod bonum est malum, ne quod malum est bonum esse credatur.

Bernardus super Cantica sermone XXIIII.

[fons nondum repertus]

Aliquando enim concitatius, aliquando remissius,
non tamen desinit caro concupiscere aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem,
ut non ea quae uolumus faciamus, omnem malam concupiscentiam consumendo,
sed eam nobis, quantum diuinitus adiuti possumus, non ei consentiendo subdamus,
uigiliis continuis excubantes,
ne opinio ueri similis fallat, ne decipiatur sermo uersutus,
ne se tenebrae alicuius erroris offundant,
ne quod bonum est malum aut quod malum est bonum esse credatur,
ne ab his quae agenda sunt metus reuocet, ne in ea quae agenda non sunt cupido praecipitet,
ne super iracundiam sol occidat, ne inimicitiae prouocent ad retributionem mali pro malo,
ne absorbeat inhonesta uel inmoderata tristitia,
ne in pertiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem,
ne maledicis rumoribus bona conscientia fatigetur,
ne temeraria <de alio> suspicio <nos> nostra decipiatur, ne aliena de nobis falsa nos frangat,
ne regnet peccatum in nostro mortali corpore ad oboediendum desideriis eius,
ne membra nostra exhibeantur iniquitatis arma peccato, ne oculus sequatur concupiscentiam,
ne uindicandi cupiditas uincat, ne in eo quod male delectat uel uisio uel cogitatio remoretur,
ne inprobum aut indecens uerbum libenter audiatur, ne fiat quod non licet etiamsi libet,
ne in hoc bello laborum periculorumque plenissimo uel de uiribus nostris speretur facienda uictoria
uel uiribus nostris facta tribuatur, sed eius gratiae, de quo ait apostolus:
Gratias autem Deo, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum;
qui et alio loco: *In his, inquit, omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos* – sciamus tamen,
quantalibet uirtute proeliandi uitiis repugnemus uel etiam uitia superemus et subiugemus,
quamdui sumus in hoc corpore, nobis deesse nos posse unde dicamus Deo:
Dimitte nobis debita nostra.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 22.23 (CCSL 48, B. Dombart ed., pp.845-6, ll.4-34).